



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm VII. Plerique.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

utrum auctis redditibus parochialibus pensio augenda sit. Et respondet affirmatiue, sicuti & vice versa, diminutis redditibus, pensioem diminui æquum est. Id verò intelligi debet primò, si auctio & diminutio reddituum notabilis sit, & non vno tantum, sed pluribus annis durans. Secundò, Si maior reddituum prouentus ex industria Vicarij seu beneficiati proueniat, pensio augenda non est, ne ipsi diligentia sua damnosa sit iuxta l. vt. C. de alluionibus, & notat hinc Gl. ver. pensiones, & in simili dixi lib. 3. tr. 4. c. 22. q. 5.

De pœnis, quibus collatio beneficij facta per simoniam obnoxia est, vide quæ dixi lib. 4. tr. 10. c. vt. §. 7.

CAPITVLVM VII.

Plerique.

PARAPHRASIS.

Clerici tum regulares, tum seculares, domos suas locabant, aut feuda concedebant, pacto in præiudicium Ecclesiarum parochialium appposito, vt conductores, aut feudatarij decimas ipsis soluerent, vel sepulturam apud eos eligerent. Tale pactum Innoc. III. irritum esse decernit, præcipiens, vt quidquid occasione eius perceptum fuit, Ecclesiæ parochiali reddatur.

SUMMARIUM.

1. Non tenet pactum cedens in alterius non consentientis præiudicium.
2. Prohibitum & irritum est pactum, vt quis extra suam parochiam in ecclesia regulari, vel seculari sepeliri debeat.

NOTANDVM I. Non valet pactum, quatenus in alterius non consentientis præiudicium cedit. Idque maximè verum est, si pactum priuatorum iuri publico Ecclesiæ repugnet, vt hic, & consentit c. si diligenti, 12. de foro compet. & l. inter, 42. ff. de pactis.

His adde, si decimæ ex tali pacto Clericis traditæ sint, quòd Parochus, cui decimæ debentur, agere possit vel contra Parochianos actione personali ex canone, vel contra Clericos decimarum possessores actione veluti reali, vt colligitur ex c. pastoralis, 28. de decimis, & c. Si quis laicus, 42. causa 16. q. 1. iuncta Gl. ver. inde abstrahere, & tradit Gl. in c. in aliquibus, 32. de decimis, vbi ait; *Pactum non nocet Ecclesiæ, quin à quolibet possessore possit petere decimas.* Vide quæ dixi lib. 4. tr. 6. c. 2. n. 4.

NOTANDVM II. Prohibitum atque irritum est pactum, vt quispiam fidelium extra parochiam suam in Ecclesia regulari, vel seculari sepeliri debeat, vt etiam habetur in c. 1. de sepult. in 6. & Clem. Cupientes, §. sanè, de pœnis. Licet enim quisque sepulturam in alia, quàm parochiali sua Ecclesia, eligere possit, c. 1. de sepulturis, non tamen promissione, seu fide data ad id astringi debet, vt Abb. hinc monet not. 2. & videri possunt quæ dixi lib. 3. tr. 5. c. vt. q. 2. & 3.

CAPITVLVM VLT.

Pactiones.

PARAPHRASIS.

Iritæ sunt pactiones, quæ fiunt pro spiritualibus obtinendæ: quandoquidem etiam secundum leges ciuiles, pactum turpe, aut rei turpis, seu impossibile de iure, aut de facto, obligationem nullam parit.

SUMMARIUM.

1. Turpe, simoniacum, & irritum est pactum pro obtinenda re spirituali. intellige, si vicissim detur res temporalis, vel spiritualis, cui temporale annexum est.
2. Promissio turpis, seu de re turpi, nullam obligationem parit.

NOTANDVM I. Turpe, simoniacum, & irritum est pactum pro obtinenda re spirituali, quod intellige, si vicissim detur res temporalis, aut spiritualis, cui temporale annexum est. Sin verò pro re merè spirituali

Ccccc 2 pro-